

## Dic testimonium de persona Christi.

In primis notum sit exordium euangelij Iohannis, quod euangelista ideo sic scripsit, vt in [58:] illustri loco extaret testimonium de hoc articulo. Sic igitur inquit: „In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum et Verbum erat Deus. Hoc erat in principio apud Deum.“<sup>94</sup> Et postea: „In mundo erat, et mundus per ipsum factus est. Et Verbum caro factum est, et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vni-  
geniti a Patre.“<sup>95</sup>

## Quomodo copulatae sunt naturae duae in Christo?

<sup>1</sup>In descriptione unionis personalis uocabulum „sustentandi“ exagitarum a Chemnicio<sup>96</sup> extat in Examine theologico, Corpo. doct. pag. 755. et in utraque Enarratione symboli Niceni titulo de Filio Dei, Tomo 2. operum Philippi, pag. 220 et 322 et alibi passim.<sup>97</sup>

Ecclesia nominat vnionem personalem, quae non est transmutatio nec confusio naturarum aut proprietatum inter sese, sed copulatio vere ineffabilis, qua secunda persona diuinitatis massam certam ex genere humano in vtero virginis a Spiritu sancto sanctificatam assumit et sibi copulat non solum inseparabiliter, sed etiam secundum hypostasin videlicet, vt vna in Christo persona sit ac maneat, ipsius nimirum verbi propria, quae humanam naturam assumptam gestet, sustentet ac foueat.

<sup>1-1</sup> Marginalie nur in F, G.

<sup>94</sup> Joh 1,1f.

<sup>95</sup> Joh 1,10.14.

<sup>96</sup> Vgl. die „Treuhertzige Warnung“, B 2v–3r, unsere Ausgabe, Nr. 3: Treuhertzige Warnung (1571), 301.

<sup>97</sup> Vgl. Philipp Melanchthon, Examen ordinandorum (1559), in: CR 23,5; Philipp Melanchthon, Enarratio Symboli Niceni (1550), in: CR 23, 340; Philipp Melanchthon, Explicatio symboli Niceni (1557), in: CR 23, 369. 510. Die Seitenzählung bezieht sich auf die zeitgenössischen Ausgaben: Corpus doctrinae, 755 und OPERVM REVERENDI VIRI PHILIPPI MELANTHONIS. PARS SECVNDA [...], Wittenberg 1562 (VD 16 M 2333), 220. 322.